Fragmentarium

Unde exiui et cum venerit invenit eam scopis mundatam et ornatam / tunc vadat et assumit
septem alios spiritus nequiores se et ingressi habitant ibi / tunc novissima hominis illius erunt
peiora prioribus. Item Sanctus Thomas in 2a 2e q. 99 ar. 3 distinguit species et gradus sacrilegii
inter cetera sic dicit: Quod peccatum sacrilegii in hoc consistit quod aliquis irreverenter se habet
ad rem sacram ubi supremum locum optinent ipsa sacramenta quibus homo deo sanctificatur.
2m locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem et ipse ymagines et
sanctorum reliquie. deinde ea que pertinent ad ornatum ecclesie / De omnibus hiis concludit
Sanctus Thomas dicendum contra quodcumque predictorum peccat crimine sacrilegii incurrit /
Item in ponderacione reliquiarum ymaginum aut picturarum vino frumento aut aliquo
huiusmodi fit quedam irreverencia et vanitas circa reliquias sanctorum aut ymagines eorum
non solum racione actus puta ponderacionis / sed etiam racione persone puta mulieris
quibus non licet attingere rem sacram nec circa altare ministrare ut d. c. xxiij d.
Sacratas et per consequens in huiusmodi ponderacione communiter committitur sacrilegium. Quod ipse
ergo in talibus de novo inveniuntur suspectum vero superstitiosum cuilibet debet esse.
Nam doctrina et exempla Christi et sanctorum sufficere debet cuilibet ad salutem.
Omnia alia que nullum habent fundamentum ex scriptura tamquam inopia respuenda.
Non enim ideo nobis relicte sunt reliquie et ymagines sanctorum ut ponderentur / sed ut
honorentur et reverencia eis exhibeatur / et ita mutare causam institucionis ipsorum
grave est peccatum et sanctorum irreverencia. Ideo sathanas qui delectatur in blasphemia
dei et sanctorum per fatuas mulieres hoc adinvenit ut eas illudat sub pietatis
specie quia semper verum fel cum falso mille [?] miscere consuevit. Ideo per locorum ordi-
narios prohibendus esset hic ritus / quia non sunt facienda mala ut inde veniant
bona ad Ro. iij. Danda est enim elemosina in honore et patrociniis sanctorum ut
dicitur Daniel iiij. non propter stateram sed propter sanctitatem nec inde crescit honor
sanctorum nec aufertur relevacio miseriorum [?] / De ornatu vero mulierum qui in istis
terris est morbus pene incurabilis et spargitur per sathanam tamquam rethe ad capien-
das animas sanctorum licet nuptis ab apostolo concedatur mediocris ornatus propter adulteria virorum
vitando. Petrus tamen reprehendit capillaturas auri circumdacione aut etiam varia
et nova facie aut vestimentorum disposicione. Ornatus ergo tam virorum quam
mulierum debet esse mediocris consuetus ab antiquis approbatus. Sed unus [?] intencio sit
recta et consuetudo loci temperata semper tamen excessu vitando et persone competens in
loci et temporis congruitate. Semper autem predicatores debent et tenentur restringere
virorum et mulierum ineptos ornatus pericula inde sequencia et animarum dampnaciones
pre oculis eis preficientes. Hec scripsi sine preiudicio aliorum in Carthusia prope
Erfford in vigilia Jacobi apostoli 1450

1450

Fragm. lat. 335

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK LEIPZIG

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 335, 1v – Jacobus de Paradiso, Abschrift eines Briefes
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-aydc/283/3295)